

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUEMTEM.

(Ex Brockie, Codex regularum.)

Auctor hujus Regulae est sanctus Donatus, episcopus Vesontinus, qui a nobilibus parentibus, Wandelino Transjurani duce patre et Flavia lectissima matrona matre, mirabiliter nata, a prima infantia Deo donatus est, in Luxoviensi monasterio educandus. Hinc verus sancti Columbani illius spiritualis dici potest, ab ipso baptizatus et in monasterio educatus, ut in virum sanctissimum evaserit. Igitur sanctus Donatus post expulsionem sancti Columbani Luxovio, in loco Palatium dicto, pro monachis crexit monasterium, quibus arctam sancti Columbani disciplinam observandam praescripsit; quod quidem coenobium postea canonicis regularibus cessit, et etiamnum hodie in Burgundia nominatur ad sanctum Paulum. Dum itaque in hoc monasterio tanquam abbas sanctissimam duceret vitam, ad regendam Ecclesiam Vesontinam a populo et clero vocatur atque episcopus declaratus, inter clericos et Canonicos arctissimam disciplinam monasticam excoluit, donec tandem aedificato intra muros civitatis coenobio, apud monachos secundum regulas sancti Benedicti et sancti Columbani viventes, reliquum vitae peragere voluit, circa annum 624 piissimam animam Deo reddens, et quod terrenum erat monachis suis relinquens, ibidem suum cum honore sepultus. Haec omnia ex iustis et laudis testimoniis perspicua esse videntur, nisi quod Mabillonius in Annalibus Benedictinis, tom. I, lib. XL, pag. 325, existimet hoc ipsum monasterium, dictum Palatium et sancto Paulo sacrum, esse idem ac alterum intra civitatis muros erectum, ubi sancti episcopi simul ac Wandelini Patris sacrae exuviae requiescunt, et in quod regulam sancti Benedicti simul ac rigidam sancti Columbani disciplinam introduxit; quia jam Luxovienses monachi utranque regulam observabant.

Interea, sanctissimo episcopo adhuc florente, sed mortuo patre, piissima mater Flavia aliud monasterium in eadem civitate construxit pro sacris virginibus, cui nomen Jussanense, in quod piissima matrona una cum Sirude juniore filia secessit, nunquam tamen officium abbatissae suscipere voluit, sed inter sacras virgines tanquam privata sanctimonialis femina sanctissimam vitam duxit. Ab exordio enim parthenonis reperimus Gauthstradam primam monasterii abbatissam, cui reliquisque sacris virginibus, nulla matris vel sororis facta mentione, hanc praesentem nuncupavit regulam, qua quidem defuncta in ejus locum reliquae virgines elegerunt abbatissam sanctam Sirudam supra nominatam conditricis filiam et sancti episcopi sororem. Hoc autem Jussanense parthenon Deiparae Virgini sacrum per plura saecula floruit, verum sacrarum virginum asylum, donec per varias fortunas nuperrimis temporibus illud occupabant Patres ordinis Ministorum, ubi piissimae conditricis sanctae Flaviae et secundae abbatissae sanctae Sirudae sacrae exuviae frequenti plebis devotione venerantur. Ad hujus parthenonis sacras virgines sanctus Donatus sequentem regulam scripsit, quam ex regulis sancti Caesarii, sancti Benedicti et sancti Columbani desumpsit, seligens illa praercepta moralia quae sexui, regioni et situi monasterii magis convenirent, quam quidem LXXVII capitalis comprehendit; quorum maxima pars ex regula sancti Benedicti est desumpta, prout legentibus apparebit.

DE SANCTO DONATO VESONTIONENSI EJUSQUE REGULA.

VETERUM TESTIMONIA.

Tabulae et Martyrologia Ecclesiae Vesont. (Apud Chiffletium, Ferrarium et Sausseium, die VII Id. August.)

Vesontione, depositio sancti Donati episcopi.

Jonas monachus. (In Vita sancti Columbani, c. 13 tom. III Oper. Ven. Bedae.)

« Erat tunc temporis dux quidam nomine Uvaldenus, qui gentes quae inter Alpium septa et Jurani salus arva incolunt regebat. Huic soboles nulla erat. Illic cum conjugis sua Flavia nomine, et genere et prudentia nobili, ad beatum Columbanum ex Vesontionensi oppido pergit, precantibus simul ut pro eis Dominum deprecaretur. Quibus vir sanctus: Si, inquit, voti vestri est, ut largitoris donum ejus nomini consecretis, mihi quae ex lavacro suscipiendum tradatis, pro vobis Domini clementiam implorabo, ut non solum eum quem Domino voleatis, habeatis; verum quanta volueritis post pignora suscipiatis. » Mox: « Flavia editum puerum ad virum Dei defer: quem vir sanctus suis manibus receptum sacravit, saeroque lavacro ablutum ipse suscepit, Donatumque nomen imponit, matrique ad nutriendum reddidit; qui post alius in eodem monasterio sapientia inbutus, Vesontionensis pontifex est praefectus, nunc usque superest eandem cathedram regens. Qui post in amore beati Columbani, ex ipsius regula mona-

sterium construxit, quod Palatium nuncupant. » Et paulo post: « Post ista munera mater ipsorum Flaviana, post mariti obitum monasterium puellarum construxit in supradicta urbe Vesontionis, et omni munimine roborans, multarum puellarum concionem adunavit. Tanta autem in eis veri Dei gratia flagavit, ut omnia phaleramenta praesentis vitae contemnentes, ad omnipotentis Dei cultum anbelarent. »

Membranae antiquae Vesontinae. (Apud Joan. Jac. Chiffletium, lib. II Antiq. Vesont., cap. 25.)

« Apicem tantae dignitatis (episcopalis) adeptus nullo modo est a suo proposito alteratus; sed idem permanens ipse omnibus prolicere cupiens in Christo, non desistebat a coepto officio. Inter canonicos denique commemorans, monachali schema indutus, sic erat inter illos, quasi mosachus unus, canonicus implens officium, monachi non amittens propositum. » Et mox: « Praeterea monasterium infra urbis moenia condidit, et in honorem beati Pauli apostoli sacravit, possessionibus ditavit, privilegio munivit: atque inibi fideles viros sub beati Benedicti, et beati Columbani Luxoviensis regula victuros instituit. Suo denique tempore, matre ejus Flavia cooperante, ex propria haereditate aliud in eadem urbe nobile sanctuarium monialium in honorem beatae Mariae est aedi-

beatum cenobium, in quo requiescit eadem Flavia A in pace, et Sirudis ejus filia, virgo sacratissima, ejus- que loci abbatisa.

Sanctus Benedictus Anianæ abbas, in Concordia regularum, passim citat hanc regulam a Donato collectam.

SANCTI DONATI VESONTIONENSIS EPISCOPI REGULA AD VIRGINES.

PROLOGUS.

Sanctis et a me plurimum venerandis Christi virginibus Gauthstrude, omnique suæ congregationi in cenobio a famula Dei Flavia constituto, Donatus, omnium extremus famulorum famularumque Dei servulus, salutem.

Quoniam vos juxta normam regulæ, vasa Christi pretiosissima, egregie noverim quotidie vitam B decere, attamen qualiter magis excellere debeatis agaci vultis semper intentione perquirere. Quam ob causam sæpius mihi injungitis ut, explorata sancti Cæsarii Arelatensis episcopi regula, quæ specialius Christi virginibus dedicata est, una cum beatissimorum Benedicti quoque et Columbani abbatum, ut puta quibusdam, ut ita dixerim, collectis in unum fasciculis ad instar Eucheridion excerpere vobis, vel concervare, deberem, et quæ specialius femineo sexui custodienda competerent promulgarem, dicentes quod regulæ prædictorum Patrum vobis minime convenirent, cum easdem viris potius, et nequaquam feminis, edidissent. Et licet sanctus Cæsarius proprie Christi, ut estis, virginibus regulam dedicasset, vobis tamen ob inmutationem loci in nonnullis conditionibus minime conveniret. Ad hæc ego implenda diu multamque renisus sum voluntati vestræ, non ut pervicaciter durus, sed mea conscius impossibilitate retentus, dum multorum in hac re minus necessitate rei atque opportunitatem loci intelligentium iudicium pertimesco, ne me temere reprehendant cur de sanctorum Patrum institutis audeam quidpiam excerpere, vel mutare. At contra devotionem compellor, dum inhiante salutem vestrarum cupio animarum. Sed taciturnitatem meam, imo tacendi perseverantiam, sedula tandem vestræ rupere preces; quibus quantum parvitas meæ ignavia valet, parere omni ambitione festino, sed timeo ne non tam efficaciter quam libenter. Et rursus in ancipiti constringor, dum me imparem ad indaganda præfatorum Patrum monita fore censeo, et quotidiano strepitu sæcularium inquietor. Germano tamen affectu, quia charitas omnia superat, in quantum pro assidua corporali infirmitate divina pietas possibilitatem dedit, et sensus obtusi caligo permisit, quod bonis vestris desideriis

placuit, cunctoque sancto vel vestro collegio intra septa istius monasterii adunata suggestio flagitavit, ea quæ vobis expediunt, et loci opportunitas, vel corporis possibilitas præstat, et a norma recti dogmatis non discordant, elegi pauca e plurimis, quemadmodum regulariter rectum Christi tramitem, tam vos, quam cæteræ vobis succedentes, Christo opitulante, tenere valeatis. Hæc vero schedula, quæ vobis flagitantibus breviter succincteque collecta est, omnes conditiones monasterii, causasque regulæ singulatim determinat, et dispensat; et ita per titulos luculentius deflorata est, ut quælibet sit necessitas requirendi prius in capitulis cernatur, et facile juxta ea designata in capitulo suo reperiatur. Quæ capitula vilitatis meæ apologeticam subsequuntur. Qua de re vos sanctas animas, mentesque Deo deditas, coram omnipotenti Deo spirituali affectu obsecrare compellor, ut hæc eadem vestræ petitioni statuta, absque ulla duntaxat refragatione, et indesinenti studio, menteque sagaci, tempore perpetuo conservare studeatis, et juniores, vel etiam negligentes, juxta tenorem ipsius regulæ coerceatis, et eam sæpius coram C omni congregatione legatis, ut nulla se de ignorantia excusare possit. Juniores corrigite, anus obsecrate, præpositæ vestræ in omnibus obedite; negligentias vestras indesinenter eis aperite, altera alterius onera portate, invicem vos omnes puro et casto amore diligite, ut veniente sponso vestro, Domino Jesu Christo, plenis oleo ac relucetibus lampadibus occurratis, tripudiantesque dicatis singulæ: *Inveni quem quæsiit anima mea* (Cant. 11). Hoc ergo ego omnium ultimus specialius almitati vestræ humili et subnixæ præce depono, ut pro me, qui petitioni vestræ obtemperans hæc per cola vel commata temperavi, tam in diurnis quam in nocturnis officiis, dum in hoc luteo corpusculo dego, creberrimas fundatis preces, et postquam Domino jubente migravero, sacras per D me hostias offerri Domino faciatis, quatenus cum vobis in choro sacrarum ac sapientium virginum, virginitatis palma beatitudoque tribuetur; saltem mihi cunctis onerato peccatis delictorum venia tribuatur.

INCIPIIT REGULA.

CAPUT PRIMUM.

Qualis debeat esse abbatisa.

Mater monasterii, quæ præesse digna fuerit congregationi, cogitet semper quale onus suscepit, et cui est redditura rationem villicationis suæ, sciatque

sibi oportere prodesse magis quam præesse. Oportet ergo eam esse instructam lege divina, ut sciat unde proferat nova et vetera; castam, sobriam, misericordem; et sæpius superexaltet misericordiam iudicio, ut idem ipsa consequatur. Odio habeat vitia